

*Guilielmio placebat: Effragrarent. Nobis in præsenti arridet eru-  
dita Bosij nostri conjectura, qui effragrarentur vel effragrarent suis-  
se putat. Verba Græca apud Xenophonem reperies.*

## §. VIII.

Quoniam verò jucunda res est, scire & consensum nationum,  
& explorare studia sumorum Virorum, non pigrabimur abire  
in exempla alia, non omnia quidem, nec illustria, sed illa tan-  
tum, quæ nobis sunt nota. Recensebimus verò pleraque ita, ut  
extremo tantum digito ea tangamus. Et quidem ex Persis no-  
tissimis jam est Cyri exemplum studiumque colendi hortos, quam  
ut hic repeti debeat prolixius. De Artaxerxe verò Scriptura *Esth.*  
*cap. 7. v. 7.* dicit, quod sanguinolento Hamani consilio ad ira-  
cundiam commotus, relato palatio ingressus fuerit hortum aulæ  
vicinum, quem procul dubio Rex manu sua colebat; id enim,  
teste *Xenophonte lib. 5. Memorab.* antiquis Regibus in laude pone-  
batur. Progredi nunc ex Persia lubet in Syriam, quæ ita amore  
exarserat in hortos, ut in commune verbum abiret: *Multa Syro-  
rum olera.* Quin nec viti solum, sed mulieres quoque sibi exinde  
& gloriam & nomina quererebant in multa secula victura; quæ fe-  
licius hortis suis assequebator Semiramis, quam multi alii suis  
europæis. Nec apud alias gentes horti suis destituebantur cultori-  
bus, & apud Phœaces quidem Alcinous, Corinthios Tantalus, Afros  
Atlas, Turcas Mahometus Turcarum Tyrannus: Illyricos Gentius,  
Mauritanos Juba horticulturæ operam dabant, adeò felici succes-  
su, ut superstitione antiquitas non miraretur solum omnes, sed  
etiam ex iis pro Numinibus coleret nonnullos. Apud Romanos  
tam vetus ea cura fuit, ut & Hortensi, Apii, Cicerones, Lactu-  
cini, Pisones, Fabii, Lentuli & Cepiones, antiquissimæ familiæ, sibi  
inde nomina sumerent, & Reges primitus ex hortis instruerentur;  
quod satis pulchre, ut solet, ostendit antea laudatus *Ferrarius cit.  
loc.* Unde Tarquinius iste non adeò erat Superbus, quin saepius  
animum ad papaverum curas declinaret. Propius nunc ad nostra  
tempora accedimus, ubi non ignobiliora reperimus exempla. Ex  
Impe-